

praesentium deputamus, nominamus et constituimus; eosdem autem Praelatos a Nobis, ut supra, deputatos et a romano Pontifice pro tempore deputandos, praefatae Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentini Synodi decretorum interpretum apostolica auctoritate praedicta ita adjungimus et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tanquam membra capiti in praemissis obsequantur et in commissio sibi munere suffragentur; proptereaque Nos eorumdem Praelatorum particulari Congregationi Praefectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium tituli s. Stephani in monte Coeli ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis praedictae Cardinalium decretorum Concilii interpretum pariter Praefectum, Secretarium vero venerabilem fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Praefecturae et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus et deputamus. Insuper quia opportunum et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam praebet, de rerum tractationibus in particularibus praedictorum Praelatorum Conventibus seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum praedictae Congregationis Cardinalis Praefectus eisdem fratribus Episcopis aliisque praesulibus supradictis eorumque potissimum postulatis diligentius ac commodius possit satisfacere, volumus et eadem apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Aeneas Silvius Piccolomineus, qui nunc est et qui fuerit deinceps eidem Congregationi latinarum episto-

larum hujusmodi a secretis, in eorumdem Praelatorum Conventibus et Congregationibus locum habere et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre possit et valeat.

§. 4. Non obstantibus quacun- que contraria consuetudine, quam ad praemissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus et abolemus, et abrogatam et asolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 23. Novbr. 1740.
(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 24.)

RELIQUIAE.

1) In Altari rite ponendae.

Vd.: *Altare port.* (Execratio); *Consecratio altaris*; *Reliquiae* (impositio etc.); *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil., decr. n. 4742).

Rhedonen.

Reverendissime Domine uti Frater.

Gravissima quidem res est, quam amplitudinis Tuae literae datae 14. Kalendarum Augusti vertentis anni enarrant, nimirum quamplurima altaria parochialium Ecclesiarum hujus Rhedonensis dioecesis ita a Praedecessoribus tuis fuisse consecrata, ut in ipsis ss. Martyrum Reliquiae vel penitus desiderantur vel, si appositae fuerunt, non tamen servatae sunt rituales hae caeremoniae, quae ab ecclesiasticis legibus sancitae reperiuntur. De hac ipsa re inter caetera negotia actum quum fuerit in Ordinariis S. R. Comitibus infrascripta die coadunatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serio perpendentes indulgeri omnino non posse, uti in votis erat amplitudini Tuae, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, nil statuendum censuerunt quin antea exposceretur oraculum Sanctissimi Domini Papae, ac propterea

rescripserunt: „Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.“ n. 4828 die 23. Septbr. 1837.

Suo itaque munere fungens subscriptus Secretarius SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. singula fideliter exposuit mentemque S. Congregationis aperuit. Ast quum SSmus Dominus praeceperit, ut ulterius per alterutrum ex apostol. Caeremoniarum Magistris conficeretur apposita Instructio pro Rmo Rhedonen. Episcopo, hac tandem habita et a Sanctitate Sua probata edixit, ut per particulares literas hujus S. Congregationis amplitudini Tuae injungeretur, ut ad trames omnino ipsius Instructionis huic fasciculo insertae defectibus suppleat a Praedecessoribus tuis admissis in consecratione altarium, de quibus in precibus atque ita absque admiratione et scandalo ea qua par est sollicitudine et prudentia singula ordinet et componat.

Dum ita Sanctitatis Suae et S. Rit. Congregationis jussis obtempero mentem aperio, ut singula exequutioni demandet, amplitudo Tua felix et incolumis vivat.

Romae die 6. Octbr. 1837.

Rmo Domino uti Fratri Episcopo Rhedonensi.

Tenor autem Instructionis adjectae est sequens:

Altare, super quo celebratur missa, vel fixum vel portatile, scilicet cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet, ac pro ipso altari portatili sive petra sacra praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro Reliquiae ss. Martyrum juxta verba Apocalyps: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Jesum Christum caput Martyrum ejusque membra juxta s. Augustini verba: „Convenienter autem et quasi quodam con-

sortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.“ Ideo Sacerdos post confessionem osculans altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas, ut in altari sit sepulchrum Reliquiarum. Reliquiis enim non apposis et deficientibus superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut altare quodcumque vel immobile vel portatile evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset, ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem, ex hoc etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in altarium consecratione. Hinc si a caeteris ritibus observandis in nova altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes apostol., nunquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic C. S. R. in Augustana 21. Apr. 1668 Episcopo supplicanti pro facultate reconciliandi plurima milliarum altarium execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant, cum sola repositione Reliquiarum iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in Pontificali Rom. praescribuntur, respondit: „In hoc casu gratiam petitam posse concedi“, quae a sa. mem. Clemente IX. concessa fuit.

Si itaque hoc sequi exemplum SSmo Domino placuerit, Rmus Episcopus Rhedonen. posset dispensari ab integra consecratione facienda omnium altarium, de quibus in precibus; at tamen in eo quod respicit Reliquias, indulgeri nequit, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, quin caeremo-

niae servantur ad hunc ritum ordinatae. Ut igitur res procedat absque omissione vel violatione ritus constanter servati et absque strepitu vel scandalo, quod oriri posset, Episcopus secreto in suo privato Oratorio procedat ad consecrationem cum omnibus caeremoniis a Pontificali Rom. praescriptis petrarum cunctarum, in quibus Reliquiae desunt, vel quamvis appositae sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus, easque petras cum Reliquiarum sepulchris consecratas mittat ad parochos, qui easdem unicuique mensae aptare poterunt. Qua functione caute ac prudenter peracta nihil omnino admirationis vel scandali excitabitur, quum perpauca patere queat. Ad hunc autem timorem vitandum Episcopi conscientiae et prudentiae relinquatur statuendum illud temporis spatium, quod necessarium putabit ad praedicta omnia sedulo perficienda.

Dum Rmus Episcopus s. Flori accepit S. R. C. et SSmi D. N. Pii PP. IX. voluntatem esse, ut loco expetitae sanationis quoad usum altarium, de quorum consecratione dubitabatur ob Reliquiarum deperitionem vel sigillorum deficientiam, consecrarentur altaria portatilia non parvo numero, paulatim substituenda iis, de quorum legitima consecratione non constaret, illico animadvertit Sacratissimi Principis mentem executioni demandari non posse absque notabili detrimento, siquidem in diario visitationum neque alibi mentio facta est altarium, quae per novam repositionem Reliquiarum vel sigillorum impressionem habitata fuere, ut super ipsis sacrosanctum missae sacrificium litari valeret, ac proinde pro conscientiae tranquillitate jure omnia iterum essent altaria consecranda, vel quingentis Ecclesiis et Sacellis essent arae portatiles distribuendae, quorum neutrum exequi potest absque populi admiratione et Cleri dispendio. Ea

propter iteratis precibus rogavit Sanctitatem Suam idem Episcopus s. Flori, ut de apostol. benignitate concedere dignaretur Indultum, cujus vigore, quocumque sanato defectu, super iisdem altaribus celebrari valeat; nam decursu temporis paulatim singulorum altarium sigilla destruentur ac tumuli effodientur et iterum altaria ipsa consecrarentur. SS. referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis aliisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, de speciali gratia in exemplum non afferenda benigne annuit pro petita sanatione, dummodo vero nullimodo erui valeat, neque ex attestationibus parochorum, altaria non fuisse denuo consecrata.

Contrariis obstantibus quibuscumque. n. 5053 die 25. Septbr. 1846.

2) Super altare collocandae.

Super altare aliquae reliquae aut tabernacula cum Sanctorum reliquiis congrue exponi possunt, quae quidem reliquiae disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra, dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur. *Caer. Ep. l. I. c. XII. n. 12. vd.: Reliqu. (cor. SSmo etc.).*

3) Antiquitas.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Vigilia, decr. n. 4742 nota).

4) Asservatio.

a) In Aedibus Laicorum.

In privatis aedibus aut apud laicos non habeantur reliquiae. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

Vd.: *Reliqu. (extr. e coemet. Romae).*

Dedecet, quod SS. corpora et reliquiae MM., quorum zelotypus est Christus, et specialiter insignes collocentur et conserventur in domibus privatorum et apud laicos, cum sint

custodiendae et adorandae religiose in Ecclesiis. In alma Urbe non conceduntur s. corpora integra nec reliquiae insignes, nisi petentes deferant literas Ordinarii loci, a quo exponatur qualitas Ecclesiarum, in quibus debent collocari et decenter custodiri; excipiuntur tamen ab hac prohibitione magni principes et conspicui Ecclesiae Praelati, et ne pietas aliorum fidelium hisce omnino privetur s. thesauris, eis conceduntur reliquiae minus insignes.

Clem. XI. 19. Febr. 1704 in ejus Bulla: Partic.

Ad petitionem nobilis viri Gamesii de Amesua praesidentis Summariae Neapolis S. R. C. censuit, D. Gamesii pii ac praestantis viri supplicationi satisfieri posse, ita ut ei liceat SS. reliquias suae domi in aliquo loco decenti religiose asservare easque, cum voluerit, devote ac debita cum veneratione *etiam ad collum deferre.*

Die 25. Maii 1594 in *Neapol. (77. Suppl.).*

Leo PP. XII.

Dil. Fil. Ducissae Lucae.

Pietatis studium ac Dei cultus, quem cum lacte a majoribus et praesertim ab Augusta tua genitrice combibisti et quorum documenta aemularis, vestigia persequeris, te omnibus vel maxime commendant. Hinc quum tu quamprimum ab hac alma Urbe sis discessura opportunum existimamus aliqua te benevolentiae Nostrae significatione complecti tibi que offerre reliquias Angelorum Reginae ac Theresiae virginis, quarum nomen refers, alteras ex ejus veste, alteras vero ex ejus ossibus depromptas. Mandavimus idcirco Episcopo Porphyriensi sacrarii apostolici praefecto, ut eadem sacralipsana ex authenticis locis extracta riteque perspecta reponeret in aurea theca ovalis figurae, florum ramulo

utrinque septa, caute decussato, et florea corona in vertice ornata in anteriori parte crystallo munita, arcte occulsa, serico funiculo coloris rubri colligata Nostroque obsignata sigillo; tibi que facultatem facimus, qua et penes te servare, aliis donare et in qualibet Ecclesia sacello aut aedícula publica Christianorum veneratione exhibere utique valeas. Neque dubitare profecto possumus, quin tibi celsitudo regia hoc munus a Nobis oblatum gratum acceptumque sit, praesertim cum satis jam exploratum sit ac perspectum peculiari te prosequi obsequio tum Christi matrem, quae „formosa sicut pelles Salamonis, corde humilis, verbis gravis animique prudens . . . non in incerto divitiarum sed in prece pauperis spem posuit“, tum s. Theresiam electam Christi sponsam, quae et genere et pietate praeclara, divini amoris incendio conflagrans non modo suam sed publicam etiam salutem sollicita charitate curavit.

Datum Romae die 7. Apr. 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 53.)

b) Modus.

In clathris ferreis muniantur reliquiae. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

Ipsa corpora SS. sint involuta panno serico coloris apti ad Sanctum, cujus sunt ossa; *ibidem.*

Tabella aenea cum nomine Sancti includatur; *ibidem.*

Lampas ardeat assidue, nisi excuset egestas; *ibidem.*

In vasculis decoris collocentur. *Conc. Prov. Mediol. 1.*

Vd.: *Visitatio Reliquiae; Reliqu. (claves; in aedibus laicorum, decr. Leonis XII.).*

Nulla modo probatur a S. Congregatione, ut SS. corpora reponantur in arca crystallina exponenda super altare, quemadmodum scribitur PP. Capuccinos

intendere, cum id a ritu et usu Ecclesiae alienum est, quae solet SS. corpora tenere sub terra vel intra altaria, supra quae ss. sacrificium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum altare marmoreum, intra quod prius rite consecratum SS. corpora reponantur sic, ut illa collocentur distinctim intra tres arculas plumbeas, sin vero aliter videatur, intra unam, separatim tamen per intervalla. Ipsa autem involvantur sericis pannis coloris convenientis ordini eorum, puta confessorum vel martyrum; atque intra eandem capsam seu capsas ponatur lamina aenea cum literis bene sculptis continens Sanctorum nomina et tempus, quo isthic fuerunt collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuerunt. Facienda praeterea erit tabula marmorea vel aenea et loco Ecclesiae conspicuo affigenda, per quam constet, intra ejusmodi altare esse corpus vel corpora ejusdem Sancti vel Sanctorum, qui illuc transferentur, addito expresse id factum de licentia SS. Sanctitatis. Poterunt autem per PP. aliquae Reliquiarum non admodum grandes reservari, ut hierothecis decentibus inclusae in eorundem Sanctorum festis aliisque solemnitatibus populo supra altare venerandae exponantur.

Ita resp. fuit nomine S. R. C. a Card. Rusticuccio anno 1592 cuidam petitioni apud S. C. factae a PP. Capuccinis Neapol. civit. Ex Em. Lambertini (Bened. XIV.) de Canoniz. l. 4. p. 2. c. 25.

c) In Oratorio.

In Oratorio retineri possunt Reliquiae Sanctorum de licentia Episcop. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

d) In Oratorio Monialium.

Ad dubium: Moniales s. Catharinae terrae s. Gemini Ord. s. Clarae licen-

tiam petierunt, retinendi corpus s. Antonini m. in oratorio, quod intra claustra monasterii constructum reperitur?

S. C. resp. inhaerendo decretis S. C. C., quibus cautum reperitur, ne asserventur Sanctorum reliquiae in monasteriis sed *in exteriori Ecclesia* — resp.: Negative. Die 17. Apr. 1660. *In Mornien.*

5) Authenticae pro consecr. altaris.

Episcopum posse uti reliquiis ex Urbe transmissis sine nominibus, si sint authenticae, in consecratione altarium absque alia denominatione.

n. 875 die 7. Sept. 1630.

Ad dubium: An authenticae reliquiae cum dubiis misceantur? vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5162 resp. ad dub. 2°).

6) Non authenticae.

Cf.: *Reliq.* (expos.); *Altare portat.* (execratio, decr. n. 5037); *Reliquiae* (veneratio, decr. de die 27. Sept. 1817; visitatio).

Exposito per Episcopum Anagninum reperisse absque ulla approbatione quasdam assertas reliquias Sacerdotis Melchisedech et partis loci, in quo asserebatur Christum consedissem tempore, quo orationem dominicalem composuerat, supplicavit pro facultate has reliquias publicae venerationi exponendi.

S. C. resp.: Negative. n. 3437 die 3. Aug. 1697.

De capite in effodiendis lapidibus Ecclesiae reperto, quod alicujus Sancti esse dicitur, S. R. C. mandavit: reponi in coemeterio absque ulla veneratione. n. 716 die 11. Dec. 1627.

Ad dubium: An permittenda sit ss. reliquiarum publica expositio venerationi fidelium, de quibus nullum authenticum documentum ostenditur nec immemorabilis vel saltem ante

Conc. Trident. expositio et veneratio probatur in publico?

S. C. resp.: Episcopus utatur jure suo juxta c. 2. §. in posterum: De Reliquiis et veneratione SSrum.

Die 21. Julii 1696 ad 4 in *Augustae Praet.*

7) Baptizatae.

Vd.: *Reliquiae* (incertis etc.; inventio: Constit. Bened. XIV. §. 3. etc.).

Ad dubium: an Patres Ecclesiae s. Josephi Ord. August. Ferrariae recitare possint Officium dupl. ss. Martyrum ratione reliquiarum, attento quod reliquiae sint baptizatae?

S. C. resp.: Negative. n. 2952 die 7. Junii 1684.

Pro ss. Patronis hujus civitatis venerantur ss. Nicander, Marcianus et Daria mm., quorum ossa creditur quiescere subtus altare majus Ecclesiae PP. Capucc. et cum fuissent recognita per S. R. C. de anno 1683, quae proprium Officium concessit, et cum in visitatione perspexerit ipse Episcopus Orator, intus armarium sacristiae Ecclesiae ss. Annuntiationis conservari quasdam reliquias dictorum SSrum ab Urbe obtentas anno 1673, hinc petiit: An hae reliquiae baptizatae adorationibus fidelium exponi possint et processionaliter deferri, quidve de eis agendum sit?

S. C. resp.: Posse continuari ad formam decreti anni 1691*) etiam quoad processionem; salvo tamen eodem decreto quoad Off. et Missam.

Die 14. Mart. 1693 ad 7. *In Venafrana.*

8) Benedictio cum Reliquiis.

Vd.: *Bened. cum s. Reliquia; Reliquiae* (genuflexio); *Reliquiae s. Crucis.*

*) Vd. *Reliquiae insig.* (Off. decr. n. 3246.)

9) Claves.

Claves pro asservandis Reliquiis duae sint, penes Episcopum et Rectorem Ecclesiae; si Universitas, aut alii laici habere solent, addatur tertia.

Conc. Prov. Mediol. I.

Licet s. spineae coronae Domini ac sanctorum Reliquiae sub laicali dominio nullatenus contineri possint, tamen ejus honorarium detinendi unam ex tribus clavibus tabernaculi, in quo eadem religiosa eorundem Magistratus et populi munificentia perornatissime quam decenter asservantur Episcopi et Capituli arbitrio inde populi devotione exponendae et in supplicationibus deferendae, eo extendatur, ut non nisi Magistratus deputato ad clavem deferendam praemonito ac praesente tabernaculum aperiatur et obseretur, nec extra tabernaculum eadem Reliquiae detineantur nisi adstante deputato, cui cum sit honor detinendi clavem, sit etiam onus Reliquias ipsas custodiendi.

N. 2060 die 12. Junii 1660.

Letteren.

Cum in parochiali Ecclesia s. Mich. arch. oppidi Primontis Letteren. dioec. orta fuerit controversia circa conservationem trium clavium Reliquiarum spinarum et sanguinis D. N. J. Chr., quae in eadem Ecclesia asservantur in quadam capella et Reliquiario ornato, quarum clavium unam tenere praetendit procurator fabricae ejusdem Ecclesiae, aliam universitas terrae Primontis et tertiam universitas terrae delle Franche, pro parte Episcopi supplicatum fuit ut declarare dignaretur S. C., ad quos dictarum clavium asservatio pertineat.

S. C. resp.: Unam ex tribus clavibus praedictis conservandam esse ab Episcopo, aliam a procuratore fabricae,

tertiam a Syndico universitatis terrae Primontis.

Die 8. Maii 1604. (Ex Analect. J. P. 1863.)

10) Corpori Obsessi admoveantur.

Vd.: *SS. Sacram.* (Delatio ad incendium etc., *Constit. Bened. XIV. §. 15.*)

11) S. Crucis.

a) Expositio, Benedictio et Veneratio.

Signum s. Crucis, quod servatur in Capella (Lauretana) occasione alicujus particularis processionis ab Episcopo indiciae administrari debet ad effectum illud exponendi in altari ss. Annunciationis, illudque processionaliter deferendi per civitatem et cum illo populum benedicendi.

Resol. a Bened. XIV. ad dub. 2. ex 33. (*Bull. ejusd. t. II. Append. III.*)

Cenomanen.

Dum Rmus Cenomanen. Ep. in id potissimum intendit, ut pastoralis sibi commissi muneris partes omnes expleat ea qua par est sedulitate ac vigilantia, reperit in universa sua dioecesi permultas vivificae Crucis Domini N. J. Chr. Reliquias, quae quamvis vix sensibiles sint, attamen in Crucibus vel argenteis vel deauratis occluduntur ac fidelium venerationi publice exponuntur ferme ut SSimum Sacramentum ac cum iisdem solemniter benedictio impertitur more pro benedictione SSmi Eucharistiae Sacramenti usitato, attamen praecipuis in hon. SSmae Crucis precibus adhibitis. Quae singula dum serio perpendit Ep. Orator ac juxta sancta a Sacrosancto Conc. Trident. sess. XXV. tit. *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum* in earumdem recognitione et approbatione invigilat,

pro sua Dioecesi circa memoratarum Reliquiarum cultum certas indubiasque leges praefinire exoptat ab omnibus in re non exigui certe momenti religiose servandas. Hinc S. R. C. humillimis precibus adiens enixe rogavit, ut quidquid hac ipsa in re alias definitum fuit indigitare dignaretur. Enixis hujusmodi precibus per infra-scriptum Secretarium relatis in Ordinaris Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Dentur Decreta super re edita*, ac proinde declararunt cum Reliquia SSmae Crucis benedicendum esse populum, dum ea reponi debet in custodia postquam processionaliter delata fuit aut publicae venerationi exposita, sicut decretum fuit in una Brixien. 17. Cal. Oct. 1736 ad dub. I. et successive in una dubiorum pridie Cal. Jun. 1817 ad dub. XII. illud etiam definitur, quod benedictio isthaec semper sit impertienda, etiamsi Sacerdos, qui functionem explet, non sit Canonicus, nam haec ipsa dubia proponebantur nomine Capituli unius Cath. Eccl.: in una vero Lucionen. X. Cal. Jul. 1835 ad dub. III. in actu talis benedictionis omnino interdicitur cantus cujuscumque versus vel precis, uti jamdiu cantus iste fuerat interdictus etiam in benedictione cum SSmo Sacramento in una Caputaquen. V. Id. Febr. 1762. Quoad autem hanc processionem cum vivificae Crucis Ligno S. R. C. 7. Cal. Sept. 1752 in una Gadicen. declaravit, licitum esse hanc Sacrosanctam Reliquiam capite detecto deferre etiam sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis, verum his tantum in locis, ubi adest immemorabilis consuetudo. Quod spectat vero ad incensationem Reliquiae SSmae Crucis, sancitum fuit in Brixien. superius enunciata ad dub. II. et in Mutinen. diei 23. Sept. 1837 ad dub.

XIV. quaest. 1., hanc fieri debere a Sacerdote non genuflexo sed stante etiam fer. VI. in Parasceve; et in ipsa Brixien. ad dub. III. illud fuit etiam decretum, quod Capitulum et Clerus transeundo processionaliter ante altare, in quo SSmae Crucis Reliquia reconditur, haud genuflectere debeat. Verum si loco principe Reliquia SSmae Crucis super altare fuit exposita, tunc transeuntes ante illam, uti decretum fuit in una Varsalien. 9. Martii 1746, unico genu usque ad terram flexo venerari debent; diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita sit in custodia. Insuper in Missa coram SSmae Crucis Ligno palam exposito in eadem Lucionen. 10. Cal. Jun. 1835 ad dub. I. edicatur, Caeremonias omnino differre debere ab iis, quae adhiberi solent coram SSmo Sacramento publicae fidelium venerationi exposito; nam in casu coram Reliquia SSmae Crucis genuflectendum est tantum in accessu et recessu ab altari et quoties Sacerdos transit per medium altaris seu de latere ad latus ut in incensatione: atque ibidem ad dub. II. definitur, necesse non esse in hac expositione, ut qui in choro stant habeant caput detectum, quod omnino reperitur coram SSmo Sacramento palam exposito, neque, ut in transitu genuflectant utroque sed tantum unico genu. Quod si agatur de expositione Reliquiae SSmae Crucis feria VI. in Parasceve, S. C. in eadem Mutin. diei 23. Sept. 1837 declaravit, servandam esse vigentem consuetudinem tum quoad colorem pluvialis et veli humeralis in benedictione, tum quoad modum recitandi Orationem: *Respice quaesumus Domine*, a Sacerdote vel genuflexo vel stante, tum quoad admittendos fideles ad osculum hujus SSmae Reliquiae, tum demum quoad s. Ministros Diaconum nimirum et Subdiaconum ac-

cedentes ad adorationem SSmae Crucis: siquidem necesse non est, ut et ipsi calceamenta deponant. In Gen. tandem Decreto a S. R. C. pridie 9. Maii 1826 lato et a s. m. Leone Papa XII. confirmato 6. Cal. Jun. ejusdem anni, dum admittitur seu toleratur consuetudo deferendi in processionibus sub baldachino Reliquiam SSmae Crucis, id edicatur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in Reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, Decreti ipsius observantiam solertissime urgeant ac pro viribus adlaborent, ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem Theca Lignum SSmae Crucis occlusum permaneat.

Haec, quae a S. R. C. hucusque circa cultum et venerationem Reliquiarum SSmae Crucis Salvatoris Nostri Jesu decreta, stabilita vel per modum gen. regulae tradita fuere et communiter in Ecclesiis Urbis servantur, ad mentem S. ejusdem C. summatim communicantur Rmo Ep. Cenomanen., ut ea prae oculis habeat in efformanda pro sua Dioecesi regula in cultu et veneratione ipsius SSmae Crucis Reliquiae servanda.

Die 18. Febr. 1843 n. 4956.

Vd.: *Cruce* (Reliquia); *Reliquia* (veneratio et usus); *Usus Pontific.* (decr. n. 4640 nota); *Reliquia ss. Crucis cor. SSmo exponi non debet*, vd.: *Instr. Clem. §. XXI. n. 6.*

b) In Cruce pectorali.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4640 nota.)

12) Deferendae non sunt una cum SSmo.

Vd.: *Process. ss. Corp. Chr.* (quae res etc.)

13) Deferentes.

Cf.: *Imago* (habitus deferent.); *Reliquiae* (processio); *Translatio Corpor. Sanctorum*; *Reliquiae* (Process., tecto vel det. cap.)

Exorta controversia inter Canonicos et Capellanos Collegiatae Camaioris S. C. decrevit: Reliquiarum delationem in casu, in quo requiruntur quatuor unitim, spectare ad Canonicos non paratos. n. 1678 ad 2 die 5. Julii 1653.

Jus deferendi Reliquias s. Crucis et spinae inter ipsum Archidiaconum et Diaconum Canonicorum Cathedr. Ascul. spectare ad digniorem. n. 2289 ad 4 die 30. Aug. 1664.

Gestatio Reliquiae s. Antonii de Padua per terram Nursiae spectat ad Religiosos s. Francisci. n. 3426 ad 2 die 27. Apr. 1697.

Licet ss. *Reliquias ad collum deferre*, vd.: *Reliquiae* (asservatio, Bulla Clem. XI. 19. Febr. 1704 nota).

14) Deferentium Habitus.

Vd.: *Pluviale in Process.*; *Processio* (oblig. Regul., decr. n. 3780).

Presbyterum deferentem Reliquias incedere debere detecto capite, *Episcopum* vero cum Mitra. n. 1115 ad 22. Jan. 1639; n. 1602 ad 1 die 23. Jan. 1649.

Cf.: *Pileolum*.

Reliquias sine bireto a Sacerdotibus quavis Dignitate fulgentibus deferendas esse. n. 1855 die 1. Dec. 1657.

... Nec non licere Canonicis Cath. Castellanae et toto Clero et multo magis Episcopo procedere in processionibus extra Ecclesiam, etiamsi deferantur Reliquiae Sanctorum, cooperto capite. Illis vero, qui sacras Reliquias deferunt, non licere usum bireti. n. 2404 die 2. Apr. 1667.

Licere Sacerdoti Augustiniano deferenti Reliquias (Crucem cum s. Reliquiis) in omnibus processionibus, in

quibus non intervenit Clerus saecularis, incedere cum *stola et pluviali* non autem cum *stola tantum*. n. 2733 ad 7 die 22. Junii 1675.

Canonico processionaliter cum alba, stola et pluviale incedenti necnon s. Reliquias gestanti non licet pluviale extra portam civitatis dimittere et absque illo inchoatam processionem ... perficere, non obstante antiqua consuetudine. n. 3570 die 31. Julii 1700.

Consuetudo deferendi Reliquiam ss. Crucis manibus opertis cum velo a spatulis pendente potest retineri. n. 4120 die 16. Sept. 1741.

15) Delatio ad Infirmos.

Ad aegrotos non portentur Reliquiae ss. *Prov. Conc. Mediol. 3.*

Neque radentur ossa, ut rasura detur cum potu infirmis.

Cong. Episc. 17. Dec. 1591.

16) Delatio propter Expos. et reposit.

Vd.: *Reliqu.* (expos.)

Deferantur Reliquiae ab induto cotta et stola vel etiam pluviali cum Hymnis in via et orationibus in fine opportunis. *Conc. Prov. Mediol. 4.*

17) Distributio.

Vd.: *Reliqu.* (extract. e coemet. Romae.)

18) Episcopi jus circa eas.

Debet Episcopus recognoscere Reliquias Sanctorum et miracula. *Trident. sess. 25. de invoc. et ven. SS.*

Reliquiae SS. recognoscantur adhibitis piis viris; *idem loco cit.*

Scripta, tabulae, literae, monumenta, thecae, arcae, schedulae accurate recognoscantur, unde translatae et haec tuto asserventur in Archivio. *Prov. Conc. Mediol. 1.*

Ipsae Reliquiae cernantur, non eae tamen, quae sub altaribus, nisi iudicio Episcopi; *ibidem*.

Scribantur in libro cum suis documentis asservando in Archivio Episcopali; *ibidem*.

Alii inferiores Episcopo id non possunt. *Barbos., de jure Eccles. l. 1. cap. 79. n. 4.*

Non potest Episcopus approbare Reliquias, etiam Sancti antiqui nondum canonizati, et eas publice colendas exponere. *Barbos. ibid. n. 10.*

Si vero sint Reliquiae canonizati, competit Episcopo approbatio illarum, possuntque exponi approbatae. *Azor. part. 2. l. 9. cap. 8. qu. 8.*

19) Expositio.

Vd.: *Reliquiae* (non auth.; veneratio etc.; baptizatae); *Imago* (expositio); *Cruce* (s. Reliqu.; expos.); *Reliquiae* (superimpon.; decr. n. 5033); *Palla in expos. s. Reliqu.*; *S. Spin. Corona* (decr. Pii VII.).

Expositio Reliquiarum raro et diebus tantum consuetis vel alias ob publicam causam fiat, ne cultus assiduitate tepescat. n. 2060 die 12. Junii 1660.

In omnibus Ecclesiis est licitum Reliquias exponere et Archipresbytero non competere jus privativum. n. 3231 die 2. Sept. 1690.

Prior ... Congregationis s. Philippi N. Placent. potest facere expositionem Reliquiarum et Imaginum de licentia Episcopi. n. 3864 ad 1 die 10. Mart. 1714.

Confratribus s. Jacobi minor. licet exponere publicae adorationi Reliquiam ss. Crucis. n. 3914 ad 1 die 10. Sept. 1718.

Ad dubium: an publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri possint SSrum Reliquiae, de quarum identitate et authenticitate certo non constat. et an de ipsis Officium recitari valeat in Ecclesia, in qua asservantur?

S. C. resp.: In casu, de quo agitur, negative ad utramque partem. n. 4542 ad 8 die 30. Sept. 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Certum exploratumque est omnibus, Reliquias Sanctorum nec processionaliter deferri nec publicae venerationi exponi posse, nisi fuerint a loci Ordinario diligenter recognitae, approbatae et, ne fraus fiat, ejusdem Ordinarii firmatae sigillis. Siquidem post textum in cap.: *Cum eo, de Reliqu. et Veneratione Sanctorum* Conc. Trid. decrevit jussitque, *nulla admittenda nova miracula nec Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et adprobante Episcopo*, sess. 25. de Invocatione, Venerat. et Reliqu. Sanctorum. Immo etiam Reliquiae a Romano Pontifice approbatae recognoscendae sunt ab Episcopo loci Ordinario, priusquam venerationi exponantur; non quia denuo ab inferiori adprobandae, sed ut certo constet Romae fuisse adprobatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identitate, integritate fidelique custodia, omnisque removeatur piae fraudis dolique suspicio. Quamobrem Reliquiis, de quarum identitate certo non constat, ecclesiasticus cultus nullatenus est exhibendus. Multo minus de Sanctis, ad quos eadem pertinere dicuntur, licebit festum peragere cum Officio et Missa. Servandae siquidem sunt conditiones Decreti generalis, quod praefigitur Breviario Rom. dat. 12. Aug. 1691 et a S. m. Innocentio XII. sub die 19. Oct. ejusdem anni probati et confirmati.

Si extat dubium: *an sint Sancti canonizati vel beatificati, non exponantur adorandae Reliquiae*. Sanchez, tom. 1. decal. lib. 2. cap. 43. n. 12. 29.

Ad dubium: Utrum publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri possint ss. Reliquiae, de quarum